

C.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

LEGES

et

STATUTA

COLLEGII JURIDICI

Almae Universitatis Cracoviensis,

Post Conflagrationem ejusdem Collegii ex occasione PP. Societatis Jesu, Anno Domini 1719 Die 26 Mensis Julii factam

CONSCRIPTA,

necnon

Unanimi consensu Perillustrum, Reverendissimi, Illustrum, Clarissimorum et Admodum Reverendorum Dominorum Doctorum et Professorum supra memoratum Collegium inhabitantium

RECEPTA

ac

APPROBATA

Anno

qVo ChrIstVs Leges eXpresse statVIt,

et Ipse eas aDIMpLeVIt.,

(Can. Ideo permittente. §. His ita respondetur. 25. 9. 1.)

(1735)

Leges et Statuta, quae omnium hominum constringunt vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi praescripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur. (l. Leges sacratissimae. C. de Legib. et Constit. Princip.)

Prima salus est, rectae fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. (can. prima salus. 25. 9. 1.)

Contra Patrum Nostrorum saluberrima agimus instituta, si quod ipsi divino statuerunt consulto, intactum, non conservamus. (can. Ideo permittente. 25. 9. 1.)

Ea, quae ab Antecessoribus instituta sunt; nulla desidia negligantur, nulla dissensione violentur, nulla concertatione turbentur. (arg. can. Amputato. can. Cum. pia. et can. Ecclesiasticae. 25. 9. 2.)

Non est tamen reprehensibile, si secundum varietatem temporum statuta quandoque variantur, praesertim urgente necessitate, vel evidenti utilitate. (c. Non. debet. de Consanguinit. et Affinit.)